

Vogel:

De venficiis

sive homi-

cidii - -

paenam

capitali

problema.









1755.

57

Handwritten mark

Johannis Godofredi Vogelii,
Juris Utriusque Candidati,
de

Handwritten mark

VENEVICIL

five

HOMICIDII

Per Venenum attentati,

In casu ubi mors non ipsa secuta,

**POENA NON CAPITALI
PROBLEMA.**

Handwritten number
7 p 4300



Heroi. In. Toga. Maximo.

Illustrissimo, Atque. Excellentissimo. Domino.

DN. GEORGIO.

a WERTHERN.

S. R. I. COMITI.

Dynastae. In. Beichlingen. Frohdorff. Neuen-
heilingen. Kreunitz. &c. &c,

S. REG. MAJ. POLON. ET. SERENISS.

ELECT. SAXONIAE.

MINISTRO. STATUS. ET. SENATUS.

SANCTIORIS. CONSILIARIO.

PRIMO.

CANCELLARIO. GRAVISSIMO.

De. Univerſa. Saxonia. Immortaliter.
Merito,

DOMINO. SUO. GRATIOSISSIMO.

VITAM. ET. SALUTEM.

PERENNEM.

Illustrissime atqve Excellentissime
COMES,

Domine Gratosissime.

IGnosce, Illustrissime Comes, Tuis quod gravissimis, quae pro Saxonum salute confers consiliis, & quae Te vix respicere sinunt, intervenire audeam. Praeter enim subjectissimi animi officium, ad quod Tantis Viris, quos meritorum Magnitudo in Supremo Dignitatis Culmine constituit, nemo non devincitur, inusitata Illustrissimae Tuae Domus Gratia, (quam jam olim fortunae suae & Authorem & Praesidium agnovit, Parens meus pie colendus) impulit me veluti imorapuit, ut hoc, quicquid est pagellarum, studii, laboris, ingenii, Illustrissimo Nomini Tuo submisit dedicarem, consecrarem. Accipe igitur, Gratosissime Domine, serena fronte, hoc observantiae, Reverentiae, obsequiiqve humillimi pignus, atqve *τεκμήριον*. Accipe, & tantae Parenti suo gratiae exhibitae memoria, continuandaeqve fiducia devotissima adductum, benignitatis Tuae radiis complecti, imo aliqualem Gratiae partem in eum prolabi patiare. Summum vero, quod omnia moderatur,



ratur, Numen, devota mente veneror, ut Te, Tuam-
que Illustrissimam Gentem, Augustissimo Patriae Pa-
renti, cui fidem ingeniiqve subtilitatem probasti, sal-
vam, incolumem, ac sospitem tueatur atqve conservet,
omnia, qvae pro Salute Patriae, pro felicitate singulo-
rum cogitas, suscipis, agis, semper & ubiqve ex sen-
tentia cedant. Et sic TE, tanquam terrae Saxoni-
cae lumen atqve columnen fulgentissimum imo Illustris-
simum nullo non tempore venerari liceat. Id qvod pia
mente fovet atqve precatur

**Illustrissimi atqve Excellentissimi
Nominis Tui**

Dresdae,
d. 7. Decembr.
A. MDCCXV.

Devotissimus ac humillimus
Cliens

Joh. Godofr. Vogelius.



PROBLEMA
De
VENEFICII
five
HOMICIDII
PER VENENVM ATTENTATI
In casu ubi mors non ipsa secuta
POENA NON CAPITALI.



Optimi hoc est, afferente invidendae eruditionis Viro, Joh. Volck. Bechmanno, Legislatoris & cujusvis Magistratus officium, non tantum bonos tueri, sed & malos puniri, siquidem qui his parcit, illis nocere creditur; & nulla unquam Respublica felix fuit, quae non adversus delinquentes extenderit nervos: nullumque certius interitus Reipubl. proditum extat argumentum, quam ubi virtuti suus negatur honos, delictis poenae non dictantur merita. Non solum, puta, justitiae divinae

A

con-

congruit, sed & Reipublicae interest, ne maleficia, quae ne-
mini patrocinantur, maneant impunita, sed ut poenae,
quae aestimationes delictorum vocantur, & in emenda-
tionem delinquentium, & in terrorem aliorum, & in sin-
gularum securitatem constituentur. Auferes malum e
medio tui, & non parceret oculus tuus ipse ait Dominus.
Imo

- - - - - immedicabile vulnus
ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
Agnovit hoc Galliarum Rex Ludovicus XII. qui Christiane
satis silentii rumpit vincula. Principem, inquit, qui pu-
nire potest crimen, & non punit, non minus coram Deo
reum esse, quam si id ipse perpetrasset. Intellexerunt
Imperatores Diocletianus & Maximinus, imo Ma-
ximilianus oculis excipiens loca suppliciiis destinata
exclamat: Salve Sancta Iustitia, quia benedictum est li-
gnum, per quod fit iustitia. Nisi enim, loquitur Gvevar-
ra, parata erroribus flagra, blasphemis forcipes, perjuris
equivalei, veneficis ignes, homicidis gladii, furibus patibu-
la, seditiosis carcer esset, plures in civitate fures & impro-
bi, quam in sylvis bestiae forent. Si tamen quae alia in re,
sane in poenarum irrogatione singulari prudentiae & ae-
quitatis sollicitudine est opus. Non enim de pecore pa-
scendo aut bovis corio; Sed de fortuna, salute & capite
illius, qui nobilissima Dei creatura, creaturarum rerum
compendium, *Μικρόκοσμος* & inaeestimabilis reputatur, agitur
quaeriturque. Cautius itaque, ut optime monet Iustus in
l. perspicendum de poen. Judici agendum, ubi de homi-
nis vita periculum imminet, nec durius quid aut remis-
sius constituendum, quam causa deposcit. Omnium scilicet
circumstantiarum, personarum, locorum, temporum,
qua-

qualitatis, quantitatis, & eventus ratio habenda venit. Ubi-
cunqve itaqve aequum non moderatur Jus, ibi ex per-
vulgato Juris brocardico: Summum Jus saepe summa inju-
ria existit. Et quid mirum? Aequitas est, docente JCo,
aequilibrium Justitiae, ne rigor justitiam superet aut vio-
let, neve nimia levitas eam perdat & obruat: minus ta-
men delinqvitur in lenitate quam in rigore: illi mederi li-
cet, huic nequaquam: praestat accusatum absolvere inju-
ste, quam injuste perdere, si peccandum in judicio: illud
est peccatum hoc impietas. Optime Niceta in vita Isaaci
Angeli sub fin. Vult Deus ut inimicissimorum quoque
supplicii moderationem adhibeamus, & semper in con-
spectu sit, quam lubrica sit potestas nostra, & quemadmo-
dum quis tractarit alios, ita & ipsum divino judicio tractan-
dum esse. Impium hinc & publice perniciosum erat Stoi-
corum dogma, qui apud Ciceronem pro L. Muraena sta-
tuebant: Sapientem gratia nunquam moveri, nunquam
cujusquam delicto ignoscere, neminem misericordem esse
nisi stultum & levem: viri non esse neque exorari neque
placari, omnia peccata esse paria, omne delictum scelus ef-
se nefarium, nec minus delinqvere eum, qui gallum gal-
linaceum, quam eum qui patrem suffocavit. At vero tan-
ti non valet perversa Ethnicorum sententia, ut aliorum Sa-
niorum, & imprimis Christiana doctrina imbutorum cal-
culum debeat mereri. Aliam nobis imo firmiorem regu-
lam coelestis sacram esse jubet Nomotheta. Argumento
sunt divina oracula, & nominatim liber Moysis, qui Deute-
ronomium inscribitur, ubi poenas delictis commensuran-
das esse tradit, quando ait: Pro mensura peccati erit & pla-
garum modus. Imo diverso jure salutat homicidas, Cai-
num, Moysen & Pintham. **Q**uod & communiter monent

Criminalistae, ne modus hic excedatur, & Scytharum instar suppliciorum crudelitate saeviatur, secundum effatum Marciani in L. 11. pr. ff. de poen. Unde non solum certae species poenarum mortis jure improbantur, sed etiam in controversiam saepius vocatum fuit: An conatus in delictis gravioribus, & praepiis si ad ultimum actum perventus, poena capitali sit afficiendus? Et hic quidem in varias partes abeunt Dd. quorum alii id simpliciter affirmant, alii demum in atrocissimis criminibus procedere contendunt, alii vero rem aliter determinant. Paginas horum implere possem nominibus, nisi periturae licet chartae parcere satius esset. Nobis hac vice tantum propositum est, ex ingenti isto apparatu eam solum decerpere quaestionem: Utrum Veneficium sive homicidium per venenum attentatum, in casu ubi mors non ipsa, insignis tamen laesio secuta, Jure Saxonico potissimum Electorali, gladio ultore sit vindicandum? Ansam huic meditationi haut ita pridem inversa rubrica edita praebuit dissertatio, erudita satis conscripta Minerva, imo dignum disquisitione ulteriori argumentum, quin hac vice pro ratione instituti proponeretur. Quamvis vero hinc labor ea potissimum ratione, quod aliquid ab communi Pragmaticorum schola alienum adserat, parum culpari posse videatur, nescio tamen an apud omnes locum sibi sit vindicaturus. Ego sane libertate de jure philosophandi fretus, a me hactenus impetrare nondum potui, quin adductis illis rationibus me subscribam. Quae cum ita sint, oleum fortassis atque operam non plane absque omni usufructu me consumfisse autumo, si, pace Viri Celeberrimi (Viros enim solide eruditos & prudentes diffensione modesta non offendi bene novimus) in praesentiarum hanc quaestionem, sanguinem homi-

hominis attingentem, accuratiori paululum mentis trutinā pondera- vero, & qvid juris ac aequi contineat, paucis examina- vero. Ut vero aciem nostram rite instituamus, & ordine hic progrediamur, nec alia nos decipiat metho- dus, nec alienae perturbent quaestiones, viam, qua in- cedit ipse, sequi nostrarum partium erit. Naturali le- ge, quae nunc primo sese offert, & lex conscientiae ab Vinn. nominatur, imo ingenii causa a Carneade in du- bium vocatur, certam poenam nulli delicto, quin nec homicidio definitam esse, rectissime concluditur. Nec enim poterit, inquit Illustris Dn. Thomafius, Jus naturae de- terminare ullam poenam, quia poena, si justa sit, debet proportionem habere cum delicto, delicta vero infinites variant, etiam ejusdem generis. At quae talia sunt, re- gulis universalibus, quales sunt dictamina Juris Naturae includi nequeunt. Sunt equidem qui huic juri adscribunt certas determinatas poenas, sed sine causa, sine ratione. Nam quod afferunt criterium, quod magnus naturae li- ber, quae omittenda quae facienda sunt praecipiat, illud non concludere quis non videt? Svadet equidem Jus Na- turae delicta esse punienda, Sceleratos poena afficiendos, sed non jubet ut homicidae occidantur, minus conatus poena mortis plectatur. Ponamus vero Jus Connatum definire certam poenam, ut certum est non definire, tantum tamen abest, ut vel ulli delicto determi- net capi- talem. Potius Corpus Juris naturalis, cum per alios aequo- modos & securitas civibus praestari, & exemplum faci- nerosis statui, & simul delinquens emendari queat, sva- dere videtur, ut non morte sed alia poena delinquentes afficiantur. Assentit satis in moralitate edoctus Seneca, imo praecipit dictante Lumine rationis, ne quis pereat ni-

si quem perire etiam pereuntis interfit. Et alibi locorum ita pergit : Poenam , si tuto poterit , donet princeps , si minus,temperet. Quod ipsum quoque apud Thucididem Diodorus de Mitylenaeis ad Athenienses dixit , neque mirum , quia Principis est rimari omnes clementiae occasiones easque diligenter recipere. Hinc belluina vox est malum fecit ergo malum patiatur. Propter malum enim praeteritum & solius expiationis causa alicui cruciatus vel mortem inferre communi hominum naturae repugnat. Nemo itaque prudens , inquit Seneca , punit quia peccatum est , sed ne amplius peccetur , revocari enim praeterita non possunt , futura tamen prohiberi. Et in hoc asserto rerum moralium Scriptores , quos Sciam , consentire video. Caveatis tamen , dum quasdam recensetis regulas , ne prudentiam politicam cum Jure naturae confundatis. Fieret enim non necessaria disciplinarum confusio , prout id saepe fieri rerum testimonia evincunt. Sed accedamus ad Jus divinum positivum revelatum , in Sacris quod continetur pandectis. Famossissima hujus Juris divisio est pro ratione durationis in legem aeternam & temporarias , pro diversitate vero objectorum in moralem,ceremonialem,& forensam , quae triplex lex per tres distinctas voces exprimi dicitur: Deut. V. v. 31. VI. v. 1. 20. VII. v. 11. VIII. v. 11. Malach. IV. v. 4. Sed hanc distinctionem minus esse adaequatam , cum permultae leges Codicis divini ad neutrum harum specierum referri possint , jam alibi ex instituto demonstratum fuit. Utrum vero dentur leges divinae universales & quidem Sanctiones poenales , a multis haut absque probabilitate in dubium vocatum fuit. Mihi videntur dari & non dari , prout quis termino legis , universalitatis , positivi & obligationis

nis utitur. Ad dignoscendum vero quatenam lex sit universalis, quatenam particularis, haec tria essentialia praesupponunt requisita, sit venia verbo, Naturalistae.

1. Ut sit ante foedus cum Abrahamo, & sic ante Rempublicam conditam lata.

2. In Novo Testamento repetita.

3. Ut ob eius neglectum gentiles quoque puniti fuere. Huc referunt poenam Capitalementem homicidis Gen. IX. v. 6. praefinitam, non recte ut putant, Joh. Hennich. Phil. Lud. Hannekenius, Gratianus dictus, Christ. Thomafius alii-que. Concedunt quidem, attestante B. Beyero, uno ore homicidium ut satis atrox crimen esse contra jus divinum universale, aut negant imo pernegant, poenam etiam esse juris universalis. Ipsas hinc non solum leges divinas Exod. XXI. v. 12. Levit. XXIV. v. 17. Num XXXV. v. 16. seqq. Deut. XIX. v. 11. seqq. particulares, ab reliquis populis Judaeos distingventes Esth. III. v. 8. vocant, sed in universali oraculo Genes. IX. v. 6. non imperativum sed futurum positum esse animadvertunt. Ea vero quae de septem Noacho datis praeceptis vulgo habentur sola traditione niti, dicta autem Testamenti recentioris Apoc. XIII. v. 10. Matth. XXVI. perperam interpretari augurantur. Quam sententiam licet in conflictu academico, nec non in lectionibus & publice & privatim habitis, ipse olim graviter propugnavi, meam tamen impraesentiarum non facio. Optarem potius, quicquid etiam contradicas, ut leges forenses divinae, quae tuentur atque interpretantur decalogum, primum scilicet praeceptum, Exod. XXII. v. 20. Deut. XXXIII. v. 5. secundum, Exod. XXII. v. 18. Lev. XX. v. 27. XXIV. v. 15. 16. tertium, Exod. XXXV. v. 2. 3. quartum, Exod. XXI. v. 15. Lev. XX. v. 9. Deut. XXI. v. 18.



v.18. quintum, Exod. XXI. v. 13. 18. Deut. XXI. v. 1.
sextum, Exod. XXII. v. 16. 19. Deut. XXII. v. 20. 28. se-
ptimum, Exod. XXI. v. 26. XXII. v. 1. & octavum,
Deut. XVII. v. 6. XIX. v. 16. 17. XXII. v. 13. imo quae
propter divinam suam sanctitatem, justitiam, bonitatem,
Rom. VII. v. 12. puritatem & certitudinem, Psalm. XIX. v.
8. haud secus constringunt hominis vitam quam ipse deca-
logus, (durante enim sine etiam *durant τὰ πρὸς τὴν*) in vi-
ridi adhuc essent observantia, & unusquisque Magistratus,
cum omnia nobis praescripta sint ad doctrinam Rom. XV.
v. 4. 1. ad Timoth. I. v. 8. ex hac lege Moysis suum disce-
ret officium. Ita sane, cum aequiorem & sanctiorem le-
gem, quam qualem immutabilis Justitia populo dedit suo,
nemo sit inventurus, nullus Magistratus illa aequitatis na-
turalis ratione, quae sanguinem humanum non esse vili-
pendum svaedet, ne scil. homines sanguine intempestivo
manus commaculent suos, & aequitatis regulas conver-
tant in Rhadamanti tribunal per rigorem excedentes, nec
ad ipsum eventum & actum respicientes immaniores Gen-
tilibus se exhibeant, durior existet. Ea vero, quod lex
nos non obliget quia lex, assertio nimiam imo miseram sub-
tilitatem sapit, ac si excutias rationes, quae allegantur, pa-
rum ex iis confici, facile intelligimus. Haut vero multum
negotii, quas videre licet, nobis faceffunt regulae. Eas
enim ita comparatas esse deprehendimus, ut paucis limita-
tis, paucis denique exceptis, calculum nostrum subjicere
possimus. Verum enim est omne homicidium divino nu-
mini maxime esse invisum: Verum etiam est lege divina
ei ultimum supplicium statuere Imperantem hodie juberi,
non congruit asserere permitti, cum inter praeceptivum
& permissivum insignis intercedat differentia, ut taceam
evol-

evolvi contradictionem, ob ea quae dicta fuere in paragra-
pho antecedente IX. Ast minus verum, imo veritati re-
velatae repugnat: poenam capitis in casu praesenti dicta-
ri legi divinae esse congruum atque conveniens. Viso
autem per transennam veluti Jure Divino Naturali & Reve-
lato, ordine in dissertatione observato nunc sequitur Jus Ci-
vile Romanum tam in specie sic dictum, quam Justiniane-
um. Lex Cornelia, cujus Author fuit L. Cornelius Sul-
la l. 2. §. 32. ff. de O. J. & cujus summam recenset Marcia-
nus in l. 1. ff. ad L. Cornel. de Sicar. generalifunctione per-
sequitur homicidas, in primis vero hujus legis capite quin-
to qui venenum necandi causa fecerit vel vendiderit, vel
habuerit plectitur. Rigor hujus legis, quo, volente Coc-
cejo, conatus homicidii punitur aequae ac perfectum sce-
lus defendi potest pro tempore latae legis Corneliae,
quando Sicarii vix discerni poterant ab iis, qui telis armati
incedebant, idemque periculum civibus imminebat ab
utrisque. Hanc itaque Leg. Cornelianam, aliosque Juris Ci-
vilis textus, ut nihil dicamus de historia, circa quam varia
essent monenda, si quid accederet instituto, ad stabilien-
dam dissertationis assertionem in aciem producit Vir Ce-
leberr. quae tamen hic nec referre nec refutare libet. Lar-
giamur enim Jus Civile in criminibus atrocioribus punire
conatum instar subsecuti eventus! Ponamus veneficium
attemptatum aequae ut consummatum Lege Cornelia aliisque
partim allegatis partim omissis plecti! quam maxime ta-
men abest ut inde firmum pro sententia vestra possit acce-
dere argumentum, ut potius pro nostra thesi liceat argu-
mentari: Legem Civilem punire Conatum, Jus Saxoni-
cum potissimum Electorale vero eventum. Sunt, qui ri-
sum nihil curantes, deficientem Juris Saxonici nobis objici-

B

unt

unt texum, hinc patris juris defectum, cum jus civile in subsidium dicatur receptum, ex legibus Romanis sup-
plendum esse tradunt. Ast neutrum absque injuria dicitur de patria nostra. Non illud, quia deficiente licet Constitutione Provinciali, non tamen deficit Consuetudo Universalis: Non hoc, quia insignis est aberrandi causa, quod Icti defectum patrii Juris explere volunt per Juris Romani leges, non intelligentes, harum rationes ab illius regulis & rationibus multum distare, ideo inepte applicari. Gloriantur autem Leguleji, se habere intentionem fundatam, quoties ad legem aliquam provocant civilem! Reviviscat in illis bonus ille Raphael Fulgosius pio erga Jurisprudentiam Romanam zelo ductus! Prodeant ex Accademiis, tanquam ex Eqvo Trojano, Heroes Juris Uriusque! Nos hoc asyllum non agnoscimus, hoc oraculum haut veneramur. Venio nunc ad Jus Canonicum sive Pontificium, de cujus usu & Auctoritate per Germaniam haut minores adhuc hodie moveri solent lites inter Ictos. Dissertatio hoc ipsum Jus, quod & post tempora reformationis sub voce Juris Communis in Recessibus allegatur, in eadem classe Juri Romano junctum praedicat, nostrum tamen judicio, cum huic palmam merito praeripiat, imo illibatam habeat praerogativam, minus recte. Quid vero de Jure Canonico circa homicidium & Veneficium justum, exponit Celeberr. Dissert. Auctor in §. IV. ubi forte loco Can. 31. qui verbis: quam tamen ultra depos. &c. maxime repugnat, ad Can. 1. & 2. provocandi mens animusque fuit. Verum enim vero cum Jus Canonicum non nisi in Causis Matrimonialibus, pactorum & emphyteuseos, bonorum ecclesiasticorum, piis, testamentorum, fideicom-

misso

missorum & detractionem quartaē spectantium, praescriptionum, juramentorum, ordinis Judiciarii, quibus Rittershusius addit causas usurarum, antichreseos & decimarum, haut vero in causis criminalibus & poenalibus (licet & hoc fuit remedium Cleri Papalis non exiguum jura principum sibi vindicandi) obtinere dicatur, his recensendis diutius immorari superfluum putamus. An vero a Pragmaticis recensita Juris Pontificii capita in praxi undiqve applicari possint & soleant, alia & diversa quaestio est, quam salvo aliorum judicio itidem negamus. Sed propius itaque ad nostra deveniendum jura, videndumque quid apud Nostrates, quorum celebre est nomen, usu veniat, quidque exinde nostro casui sperandum. Prima vero nunc cura deberet esse juris patrii, sed nec peccabitur, si fuerit ultima, & praecesserit LLatio Carolina. Nemesin vero Carolinam quam maxime nos averfari, erudita monet dissertatio, eumque in finem & Artic. CXXX & Art. CLXXIIX verbotenus recenset. Ut autem quae dicta melius nobis innotescant, non erit de nihilo, si ex ipso rerum Criminalium fonte rem exhauriamus. Tenor vero primi Articuli ita sese habet: Wer jemand durch Gifte oder Venen/ an Leib oder Leben beschädigt/ ist es ein Manns-Bild/ der soll einem fürgefakten Mörder gleich/ mit dem Rad zum Tod gestrafft werden. &c. Paucissimis ut hac vice me expediam, ex Carpzovio aliisque, qui hac de re aliquid monuerunt, probe erit notandum: Verba an Leib oder Leben non disjunctive sed copulative accipienda esse. Particula, inquit, VEL ponitur pro particula ET: Ut sensus sit eum teneri poena rotae, qui veneno damnum infert alicujus corpori & vitae, der einen an Leib und Leben beschädigt/

diget/ adeoque poena rotae tunc demum obtinet, si mors
secura sit. Haec interpretatio legis eo magis recipienda
videtur, qvo benignior est haec sententia, quae in poe-
nalibus semper apprehendenda. L. 32. L. 42. ff. de poen.
Quod vero sexus differentiam, cujus rationem habuit Car-
olus Imperator, observari noluit Carpzovius, in eo labi-
tur, fateor, sed excusandus tamen est. Quod autem Art.
CLXXIIX. concernit, ejus concepta verba ita sonant:
So sich jemand einer Missethat mit etlichen scheinlichen Wercken/
die zu Vollbringung derselben Missethat dienlich seyn mögen/
unterstehet / und doch an Vollbringung derselben Missethat durch
andere Mittel wider seinen Willen verhindert wird / solcher böser
Wille/ daraus etliche Werck/ als obstehet / folgen / ist peinlich zu
straffen/ aber in einem Fall härter dann in dem andern/ angesehen
Gelegenheit und Gestalt der Sachen. Ex hoc commemo-
rato articulo nihil sane consequitur praeter hoc: Quod
delictum attentatum & quidem si illud atrox crimina-
liter coerceri debeat. In sensu autem stricto Judicium
Criminale peinlich appellatur, in qvo poena corporis im-
ponitur afflictiva. Sic itaqve secundum deducta nec in
Jure Carolino dissertatio inveniet praesidium, num idem
vero in Jure Saxonico & Communi & Electorali expecta-
bit, paucis nunc disquirendum venit. Jus Saxonum
Commune tribus Voluminibus, Land • Recht/ Weich • Bild
& Lehn • Recht quod absolvitur, speciale vocat dissertatio,
sibi qve aliud commune haectenus nec nominatum nec vi-
sum fingit. Ego sane, si excipias paucas illas leges,
quae Authoritate Prudentissimi Imperatoris Caroli M. in
scripturam redactae, & quarum fragmenta sub titulo Ca-
pitularium ex perveusto Codice MSS. Palatino in Biblio-
the-

theca Vaticana extante, publici iterum juris fecit Ferdinandus Comes de Furstenberg, Episcopus Paderbornensis, praeter illud, quod jamjam significatum dedi, reperire nec potui nec valui. Ante enim, deflectamus paulisper, Caroli M. tempora Saxones, cum apud eos nullus adhuc esset linguae latinae usus, nullus Christianae religionis cultus, nullus regni Francici autoritas, moribus magis quam legibus vixerunt suis, imo procul dubio & illos respexit, quod in universum de Germanis tulit axioma Tacitus: Apud eos bonos mores plus valuisse quam alibi bonas leges. Egregium hujus gentis speculum exhibet nobis Bothonis Chronicon Brunsvicense Picturatum sub titulo Sachsen-Recht/ dignum quod huc ascribatur: verba haec sunt: De Sassen de Leveden so redelicken na der ee in der natur/ hedden se Christen wesen/ se weren salich geworden one Schelde/ wann dat se oeren Schoepper nicht erkandten. Caroli itaque M. tempore & Autoritate, hic enim testante Eginhardo omnium nationum, quae sub ejus ditione erant, jura, quae scripta non erant, describi ac literis mandari fecit, prima Saxonum Jura, brevissima eqvidem, & quae vix XVIII. Capitulis constabant in volumen redacta. Nolebat scilicet devictae Saxonum genti Francorum obtrudere jura Divus Imperator, sed leges ex avitis moribus deductas concessit non solum sed approbavit quoque, quicquid etiam de lege Salica disputerent alii. Jus enim Salicum, quod & Francici imo Svevici titulo venit, Jus velle appellare Saxonum Commune, absurdum si esse dixerem, venia dabitur, mitius vocabulum haut inveniendi. Sed e diverticulo in viam. Revertamur, puta, ad Jus nostrum Commune, quod suos Friderici II. Imperatoris, & quae proxime secuta sunt tem-

poribus, debet natales. Dictum autem fuerit supra, quod utramque paginam hic facit. Jus Civile punire Conatum, Jus Saxonicum effectum. Es geschiehet an Willen noch Worten keine Gewalt/ wann keine That darnach folget / ita loquitur Jus Commune c. 39. Lehn-Recht. Quod ipsum non solum agnoscit Sanctio Carolina Art. adducto 178. ibi Und doch an Vollbringung/ item aber in einem Fall / & ibi, angesehen Gelegenheit / sed & veneratur consuetudo nostrae gentis, de qua potissimum solliciti sumus, universalis. Requirit autem illa in omnibus delictis imo atrocissimis, nisi lex contrarium disponit, I. ut delictum revera sit commissum, nam ubi nulla transgressio, ibi nulla est poena. II. Ut exinde mors per se sit secuta, ubi artifici erit in sua arte credendum. III. Ut praeprimis animo doloso id sit factum. Nam causa poenae ordinariae est dolus non culpa, mitigationis vero defectus intellectus & voluntatis. Dubitabis: an hoc assertum in Jure Saxonico procedat communi, & objicies exempli loco textum in Land-Recht lib. II. Art. 13. notatu dignissimum: Welet Cristenman ungelovich is/ eder de myt Toberye/ myt Bergiffnisse/ eder myt Wickene ummeget / und des verwunnen werdet / de sall man op der hort berren. Sed bene res habet: modo vocem ummeget rite explices, neque contra mentem legis de solo conatu, bene vero de assumpto actu & subsecuto eventu intelligas. Semper enim id Legislator praesumitur voluisse, quod est aequius & benignius. Et aequitas in dubio potissimum praefenda rigori & subtilitati legis. Imo jura omni tempore proniora sunt ad absolvendum quam ad condemnandum. Accedit quod haec Sanctio sit poenalis, adeoque stricte interpretanda, plus enim a Legislatore constitutum non apparet.

paret. Excipis, & per verba: *Welch Christenman myt Vergiffnisse ummeget/* non solas incantationes magicas, id quod Carpzovio arridet, sed ipsum etiam veneni dati crimen intelligendum esse tradis. Respondeo: arcem causae petis, sed conatu frustraneo, qui exinde de poena capitali Veneficio, seu potius homicidio per venenum attentato, infligenda somnias. In eo tamen cum Carpzovio sentire non possum, qui allegata verba pro explicativis praecedentium, nempe pro Synonymo incantationis magicae accipit. Urges amplius praepudicia apud nonnullos Pragmaticorum obvia. nostraeque, ut colligis, sententiae repugnantia. Heic vero, quid respondere debeat, non est anxie quaerendum. Uti enim illa ex Jovis tabulis testes non sunt, ita horum tradita, ut taceam ea omnia de Veneficio absoluto non attentato loqui, Delphis nobis responsa haut ducimus. Non enim exemplis sed legibus standum. Neque quid pronunciatum, sed quo jure quid sit, quam maxime attendere oporteat. Novi quid regerant alii, sed jam ab aliis est responsum, nec fert praesens discursus ut illis refutandis immerer. Haec dicta sufficiant de Jure Saxonum Communi, restat ut de Electorali nunc tandem quaedam edisseramus. Hoc itaque Jure non puniri affectum neque conatum, sive attentatum Veneficii poena ordinaria, nisi sequatur effectus, supra jam dictum fuit, & jam paulo amplius dicetur. Innotuit scilicet usui fori Saxonici, cum Constitutio deficeret Provincialis, illud vulgatum, imo Tyronibus notum, brocardicum: *Ius Civile punire Conatum Ius Saxonicum eventum.* Quam regulam forum Saxonicum non nudius tertius excogitavit, sed ab ipsa aequitate haustam recipiendo suam fecit. Aequitas vero postulat, ne ulterius
pro-

progrediatur poena, quam delictum deposcat. Ut enim Medicus, inquit Illustri Dn. Thomasius, operam dare debet, ne medicamenta leviora morbo sint, nec summe etiam acria, quae vitam ducunt in periculum, ita & princeps studere debet, ut poenae non sint mitiores, neque etiam saevae nimis. Abutitur hinc Magistratus gladio Justitiae quem gestat, si immemor misericordiae, clementiae, & aequitatis, solum observet rigorem. Sine enim misericordia Justitia est crudelitas, sine Justitia misericordia est fatuitas. Mirari ais, quid de aequitate nuger, cum secundum Prudentiam Politicam poena non tantum ex delicto, sed etiam ex utilitate publica sit aestimanda. Respondeo: Utilitatem Publicam rigorem juris non semper exigi, neque in dubio eundem praesumendum esse. Accedit quod ille minus offendat Rempublicam, qui alteri venenum, citra tamen eventum mortis porrigit, quam qui eundem eventualiter occidit. Dicis: annon hac ratione via sternitur delictis? Annon pessimi homines peccabunt liberius, aliosque reddent miserrimos? Sed respondeo: times ubi nihil timendum est. Licet enim Jure Saxonico Electorali ob deficientem causam seu ipsum Veneficium, quod in actuali hominis internecone consistit, poena cessat ordinaria; Non tamen plane is, qui conatum ad actum traducere nequivit, impunitus dimittitur. Praeveniam Te quaesitorum: Quam ergo poenam ille sentiet? respondendo: pro ratione attentati, quicquid etiam contradicat illud Paradoxon Stoicorum, vel poena fustigationis, vel relegationis vel alia coercetur. Sed nondum omnis difficultas est sublata. Etenim obstare videntur Constitutiones Electorales Provinciales & III. & XVIII. Part. IV. quarum altera de poena paricidii (legem Civilem de parricid. abest haec

haec vox in l. 6. Cod. Theod. habetur tamen in l. 6. Cod. Theod. de Indulg. cr. Pompejus cognomento Magnus Princeps & Ter Consul A. U. C. non uti molitur disertatio DCCL. sed attestante Hub. Giphonio DCCII. tulit) altera vero de infectione pascuorum per venenum ex professo agit. Quid ergo dicemus? Tentabimus an ex hoc Labyrintho quoque evadere possimus, si percepto earum tenore ab omni difficultate liberemus. Prima ita sese effert: Da es sich hinführo begeben/ daß die Eltern ihre Kinder / oder die Kinder ihre Eltern/ oder aber auch die Eheleute eines das andere bößlich thäten ermorden/ oder umbringen/ es geschehe mit Gift oder in andere Wege/ so soll der Thäter/ da die Gelegenheit des Wassers der Dert her vorhanden/ in einen Sack samt einem Hunde und Affen / oder an statt desselbigen einer Ragen/ Hahnen/ auch einer Schlangen gesteckt/ ins Wasser geworffen und erträncket werden. Würde aber die Gelegenheit des Wassers der Dert her nicht vorhanden seyn/ soll solcher Missethäter mit dem Rade vom Leben zum Tode gerichtet und gestraffet werden. Altera vero hunc in modum se explicat: Diejenigen/ so die Beyde vergiffen/ sollen nach Sächsischen Rechten mit dem Feuer gestrafft werden/ welches verstanden werden soll/ wenn Schade darauff erfolgt/ da aber kein Schade geschehen/ soll dißfalls eine willkührliche Straffe/ als zeitige und ewige Verweisung mit Staupen-Schlägen/ erkannt und gesprochen werden. Facta itaque oculari inspectione nulla harum nostram contra militat thesin, bene vero eam fundat atque defendit verbis: Da aber kein Schade &c. Res haec notior est quam ut exigat probationem. Quo vero nostrae sententiae majorem afferamus lucem, ita cum Carpzovio ratiocinari juvabit. Si in venenatione pascuorum, ceu crimine graviori, cui poena ignis est praescripta, conatus ultimo supplicio (quod mortem interpretamur l. 23. ff. de poen.) puniendus non est,

est, multo minus pro conatu veneficii mortis supplicium irrogari debet. Illustrat hocce πορὺς ἐύλητον, quod nullibi contrariae praxeos reperire liceat exemplum. Probat consuetudo Saxonica, quam generalem esse, & nulla indigere probatione docent Dicasteria & Collegia Saxonica. Confirmat immensum pro consuetudine hac universali stantium agmen, & Authorum Myriades, quos incondito numero allegant, Jul. Clarus, Prosp. Farinac. B. Carpzovius aliiqve. Idqve magis adhuc, ubi neqve ex divinae veritatis oraculis, quae scriptura sacra complectitur, neqve ex jure Saffonum nobis aliquid adversum & oppositum afferri potest. Cui Consuetudini Generali, quam totum observare mundum tradunt Jul. Clar. Schneidew. Nicol. Reuf. Zieriz, aliiqve, Dnn. Scabini Electorales in respondendo ante innumeros annos se conformarunt, imo casu veneficii attentati oblato sententiam teste Carpz. ita conceperunt: Ob nun wohl in des H. Römischen Reichs peinlicher Halsgerichts-Ordnung versehen/ wer jemand durch Gift oder venen an Leib oder Leben beschädigt/ daß derselbe am Leben mit Unterscheid/ wie daselbst gemeldet/ gestrafft werden soll; Diweil aber dennoch der effect, darum sie ihnen solchen Gift beybracht/ als nemlichen der Tod ihres Ehemannes/ nicht erfolget/ und aber durch eine allgemeine Gewohnheit eingeführet worden/ daß der böse Fürsag/ ja auch der angemaste Fleiß eine Mißhandlung zu begeben/ so doch ins Werk nicht gerichtet/ einer vollbrachten Ubelthat gleich nicht zu straffen/ so mag auch obbemeldte Weibes-Person/ von wegen der unterstandenen/ und doch nicht vollbrachten Entleibung ihres Ehemannes am Leben nicht gestraffet werden; Sie wird aber gleichwol dieser und anderer ihrer Verbrechen wegen billich zur Staube geschlagen/ und darüber auch mit ewiger Verweisung in Straff genommen. B. R. W. Atqve ita, quantum potuit, & per ingenii

genii tenuitatem licuit, evidenter demonstratum esse judicamus, stare immotam perpetuo, atque inconcussam veritatem hujus nostrae thesios. **Veneficio sive homicidio per venenum attentato, in casu ubi mors non ipsa, insignis tamen Laesio, (ut furor, paralyfis, vel alius morbus fonticus) secuta fuit, poenam capitalem in foro Saxonico Electorali nequaquam dictandam esse.** Ulterius, fatemur, amplissimo huic argumento immorari possemus, & propter dignitatem imo necessitatem illius deberemus etiam: arguendo sententiae negativae philosophemata, declarando uberius proposita dogmata, & alia non minus clara, circa hoc argumentum delibando. Sed cum temporis angustia excludamur, & ut extra limites iudicium nostrum extendamus, vereamur, imo nobismet ipsis invitis charta crescat, merito hic filum abrumpimus, reliqua vero Tractatui ante biennium vel quod excurrit significato, & quem nunc propediem edere curabimus, si Deus & fortuna ita volet, reservamus. De caetero, cum vix dubitandum videtur, quin hodie ultimum supplicium saepius largius, quam regulae aequitatis & Justitia divina permittunt, dispensetur, haud statuat, caveant sibi summi quique Magistratus, qui non suum sed Dei iudicium exercent, ejusque ministri sunt, Rom. XIII. ne aliquando illud fulmen sentiant divinum I. Reg. XX. v. 42. Quia dimisisti virum, quem ego occidere jusseram, anima tua erit loco illius.

lius. Certe enim non est charitatis, sed potius crudelitas, gladio Justitiae, & quidem in eis delictis, quibus lege divina universali poena praecise imponitur, a Deo concessa, contra facinerosos & sceleratos homines nolle uti, Deoque sacrificium offerri. Exeat hinc, concludente Celeberr. Jcto, cujus verba pro confirmatione praesentis asserti verbotenus huc transcribere, quam mutilate allegare malimus, exeat, inquam, injusta misericordia, quae parcendo lupis, mactat oves! & indulgendo reis universos ad prolapsionis provocat contagium! c. est inhibendum. De Cohabit. Cleric. & Mulier. c. est justa 23. q. 4. Exulet intempestiva lenitas, quae trucidat fontes! 1. Samuel. XX. v. 41. & XXIV. v. 12. indignentur canones! insurgant leges! armentur jura gladio ultore! L. 31. C. ad L. Jul. de adult. Divellatur homicida ab altari! Gen. IX. v. 6. Exod. XXI. v. 14. Et, quod fecit, semper expectet! L. 3. C. de Episc. Audient. Interim, ne aliquando plura in Judiciis latrocinia, quam in sylvis reperiantur, adsit

Regula peccatis, quae poenas irroget aequas.



mc





Kp 4300

VD18

ULB Halle

3

005 725 283







B.I.G.

Farbkarte #13

57/83

57

Historia In Toga Maxima
Illustissimo Aque Excellentissimo Domino
D.N. GEORGIO

Johannis Godofredi Vogelii,
Juris Utriusque Candidati,
de

VENEVICIL

five

HOMICIDII

Per Venenum attentati,

In casu ubi mors non ipsa secuta,

POENA NON CAPITALI
PROBLEMA.

7 p 4300

